



~~Poez: 1246~~



2530

1869 d. 387

Frid. Zamell
FAMILIÆ MONUMENTUM
ad Liberos.

ELBINGÆ
Typis BODENHAUSINIS
anno M. DC. XLV.

Lectori S.

BOni parentis, amice Lector, munere
Fungi voluimus: & qvod alibi diximus
Et hoc libello ſparſim, id omne intelliges
Pietate, Diligentiâ, Modeſtiâ,
Atq; aureâ conſtare Parcimoniâ.
Qvæ ſi bona bonis liberis reliquero;
Eſt, qvòd pater itidem beatus perhibear.

Ad Gotofredum, Carolo Theodoricum & Fridericum, filios dilectissimos.



HActenus id operam dedi, mea proles, ut viros qvi generis nobilitati literarum præstantiam conjunxissent, omni officio ac cultu antè proseqverer, qvàm Vos hujusmodi oblato munusculo disertè compellarem. Factum hoc oportuit Vestrâ caussâ: ut si qvando fato meo functus essem, erga Vos benivolentiam haberent illi meâ caussâ. Tum qvi ingenii famæq; meæ monumenta ævo rebusq; ex aliorum judicio digna conservarent, Vos deniq; estis. Nec aliò spectabat aut majorum meorum edita series, aut vitæ meæ civium non insulsis probata ratio. De eâ, uti sunt, qvi etiam obliterando progenitorum memoriam meritò gratiam nullam à posteris ineunt, qvòd ingrati in illos fuissent; ita Vos liberaliter eductos gentis Vestræ recensum gratissimi muneris loco habituros pio ergà manes meos adfectu etiam ad posteros transituro, jucundissimè præsentio. Qvod ad alterum. Nec studia, nec hærentes gestosq; in Rep. honores ambitiosè effero, Urbis meæ calculo contentus: qvæ cunas vidit, modestiam perspexit, decorè latentem provexit. Nota sunt, & mitto, animi Vestræq; voluptatis gratiâ vene-

rabile illud ſilvarum ſilentium ingreſſurus. Qvod nullo non encomio in Voidianâ Lauru cùm proſecutus eſſem, nec delicatæ mentes deerant, attonitæ ſcilicet novitate rei: qvi aut ſubitò & qvidem feliciſsimè mutaſſe ſtatum ſuum Poëſin exiſtimarent, aut me ὑπερβα-λόντα vanitatis tamdem arguerent adhuc ſtupore pallidi. Eo in circulo qvia fabas ejusdem notæ cumulârant nec minùs vultuoſi aliqvot, qvi Pliniano qvodam morſu veluti Sophoclis cothurnum, Heliadum imò guttæ ergò correptum, inter natales ac publica munia cum ludibrio differrent; neceſſariò illis reſpondendum duxi, ſuggerente etiam deo, cujus hæc ſunt myſteria. Proinde heus Tu, qvisquis es in illis Ariſtarchis, an ignoras fulgurantem hanc bracteam non modò Oratorum optimos locupletaſſe, ſed etiam à non valde paucis, qvi temporum rationes nobis colligunt, inter veritatis præſidia adhiberi? Qvid Poëtâ facies? qvi ſimul ſcopi ſimul præmii certus virtutem vel ſuâ ſpecie vel ſub involucro auribus animisq; audientium inſerit. Sic ars in luſum abiit, qvo ægra corda mortalium nunc eriguntur, nunc ad parem carminibus celebratæ gloriam impelluntur, nullâ cujusquam recti noxâ. Pueri animis relaxati faciem obnubunt, & res in qvibus ſunt; digreſsi velum abjiciunt, rebus nihil detrahunt. Eumdem modum Poetæ ludimus: & qvidni Te ipſum? Etenim cùm Tu homo

munis

munis meq; bonosq; præterea alios nondum pedum officio defunctos sæpe portes traducasq;, qvò nescimus; qvis tam stipes aut iniqvus, qvi paria facere recuset? Patere, ut reponam: ac pœnè decas annorum est, cùm in Gemmis Drusidos meæ ita cecini:

Vt colerem meritos, & qvos meruisse negares;
Hoc Patriæ, Lector candide, fecit amor.
Cur non & patrias celebrent mea carmina gemmas?
Sæpe decem præstat gemma vel una viris.

Ab hac spicâ universam messem puta: & nisi adeo hebes es, aciem saltim per majoris exercitûs manipulum aliqvem circumfer: videbis, qvid veræ virtuti dederim, qvid in apparente inq; contaminatis damnaverim. Sed veritatem absq; cortice insuper exigis? Omnium seculorum memoriam consule: Vatum hic æternus mos est, qvo utimur. Verùm scopuli, inqvis, & lamæ: imò qvas Tibi non detergam: nec, si adhuc de fide dictorum ambigis & instas, qvicquam moræ quin illud audias: Apage Tu, qvem Tui cum similibus in juventute nosse occæpi, in senectute judicare possum. Sed enim Vos meum genus, ne credite: me ideò hos Novensilium colles cœlo æqvasse, ut Vos in eorum tramites violenter perductum eam. Minimè, minimè: nihil de assensu svadeo, nec persvasum volo, si aut Natura repugnat, aut dotes vestræ aliæ excedunt.

dunt. Nullius Metii Pomposiani heic genesin, sed Lucilii alicujus aut Archiæ reqviro: non ad astrorum judicia, sed æmuli ardoris indicia. Explicanda erant ista, noster sangvis, cùm ex mei ingenii motibus de Vobis arbitrentur alii, ac tamtùm non pronuncient, haut versi in eorum contemplationem, à qvibus ipsi hanc lucem hausimus. Qvos qvoties animi oculis intueor, discessionem fecisse video, atq; adeo divisum isse mecum familiæ operas, Musarum castris mihi assignatis; agro, armis, omniq; rigidiore exercitio sibi relictis. Attamen si inest ea indoles, si aderit eadem facultas; pari lubentiâ me seqvimini, sed uti à gravioribus in gratum etiam heroibus otium. Qvod tale est, ut proficiendi amore animum semel illectum ad ludicra ægre dimittat. Etiam hæ vacationes studiorum nomine veniunt, & sunt: qvibus fastigium si non imposui; tamen conor, nec asseqvor. Cæterùm qvæ negotii sunt momenta, de qvibus aliqvot lineis in hoc spatio instruam, ea curatissimè haberi jubeo. Nec æqvior rerum erit temporumq; vicissitudo, quàm qvæ ab his occupationibus in illas est animi ferias. Qvæ cùm subinde meditarer, qvòd benignissimæ Naturæ Fatiq; ductu in oportuno ad utrumq; bivio constitutus essem, atq; eqvidem stimulante, ut in hoc illudq; diverterem, potentissimorum in terris Numinum amore; non tam Charisiis permulsos, qvàm

Cha-

Charitum amœnitatibus volui Te GOTOFREDE XV, Te CAROLO THEODORICE IX annis adultiores FRIDERICO fratre: qvem annicula ætas inter sua crepundia habet, Vestrâ nunc manu sæpe nitentem, Vestrâ olim sublevandum. Nimis serò jam in morte gallum Æsculapio Socrates: sed ludebat ille, aliterq; interpretabatur de sanitate suâ. Vos seriò cavete, ne flore juventutis per inertiam amisso virile robur sollicitetis de qvondam neglectis. Si tamen etiam hæc pœnitentia melior, qvàm spes abrupta. Promtiùs attendite, mei liberi, Vestras utilitates impensiùs admonendi. Totâ mente, inqvam, omniq; curâ virtutem amplexi præstate; ut non minùs honesta sit, qvàm fructuosa Vestra institutio: atq; ut Resp. amet, frugem bonam ostendite ætate maturrimâ, structores imitando: qvi ut in vigore apponant, abjecto ministerio gulæ irritamenta accelerant. At hæc sola ratio est, qvâ ingenii studiis humano generi maximè profuturis à primo annorum decore imbuimur: his imbuti in consentaneas functiones imus. Verè fatum est: *Non alios profecisse, qvàm qvi in optimis vitæ disciplinis se collocassent.* Vos viam, inarando huic pectoris Vestri veluti rusculo, ingressi estis: eam ut ritè ac cautè insistatis, operæpretium est satagere. Ego meas mihi partes vendico: in iis, ut sulco jam impresso nusqvam deliretis, advertam providus herus, idem sollicitus pa-

ter

ter. Hunc adfectum non exuam, nec studium deponam, donec his rebus superero. Vestrum est, meæ deliciæ, patris spem inter ardentia vota conceptam implere, vel ejus nihil de Vobis temere consulentis fiduciâ. Id à Vobis nimirum obnixè (discetis hunc amorem) & itero eam vocem, obnixè contendo; ut, cùm inter hæc dubia indubium fatum ita feret, haut tam cupressos tumulo meo qvàm lilia detis: qvò non solùm de hujus animi post mortalitatem statu, sed de Vestrâ etiam incolumitate rectè sperasse videar. Decipiunt, nec exsecrarer, nisi everterent, qvi inter lubrica viarum nec commeatu proviso cœli arcana Vobis aperiunt: salebris uliginosisq; impeditos ad speculanda marium profunda invitant. Qvippe ita habent progressus nostri, ut à paullùm remotis prorsus eatur; nec altiùs promoveat humana industria, nisi iis gradibus, qvos semel posuêre in qvovis doctrinæ genere experientissimi. De lingvis hac in parte inculco, non hodie natis, aut barbarorum commercio confusis; sed illis hominum cultui, gentium suarum merito, destinatis. Qvarum gloria ac necessitas tamta est; ut literarum, qvas colimus, magnis Reparatoribus facilè subscribam: *Et mundi universi opibus contrà cariores esse; nec ullam eruditionem consummari, mancamq; esse, qvæ hac manu destituta sit.* Porrò si usus erit, mea soboles, ut instabili fortunæ vultum submittatis, neqvaquam eâdem in-

inferiores nec animum demittite. Qvapropter nec in Vestros cursûs de ejus nutu superciliocq; meticulosâ superstitione servate. Aleatorum est, hoc aut aliud muliebre Numen voto adhæsè nuncupato ambire, ut damnosi Canis jactū effugiant. Probos suus conatus rarò fefellit: iisdem laudabilis ambitus indefessusq; labor æternâ firmitate numqvā non profuit. Sed cùm omnem liberalem scientiam artemq; optima rerum pax nutriat, hanc à summo Cœli Imperiorumq; Moderatore Deo constantem orabitis. Nam qvalis nunc est, veluti laciniis suis per annos numero certos abrumpitur, hei quàm paucos! nisi spes est in Augustis verissimisq; Patriæ Luminibus. Qvorum luce si solida illa affulserit, erunt lætissima tempora Vestra: & à Vobis gratiæ, qvamtæ possunt maximæ, exsolvendæ iis rerum Rectoribus. Sanè cùm procellæ, quæ his littoribus ab Arcto incumbebant, sedatæ essent à felicissimo Regum, qvi Thracas suo Marte frementes, Moschos cœlo suo confisos nostro bono antè conpescuerat; qvot prosperitates unū pectus reconderet, singulariter intelleximus. Nec aliud tam salutari dextrâ è Patriæ discrimine assertis devotionis argumentum erat, qvàm perpetuus divûm cultus, qvi servassent, & stirpis qvæ *Servatorum* esset. Vos qvi inter armorum strepitus tubarumq; clangores nati pacis duntaxat commoda sensistis, per qvalia patrū sacramenta temporū adoreæ sitis transscripti, è no-

bis gratulabundi cognoſcite. Fides, pietasq; & decora mea mecum morientur, niſi eorum exiſtimationem ſuſtinueritis, famæ & mihi pariter & Vobis in longum repoſitæ conſulturi. Vt verò in memoriam adeo memorandæ rei ſæpe redeatis, ac qvæ deſiderantur adhuc vota, ea nonnullo mnemoſyno excitentur; hoc *Familiæ* noſtræ *monumentum* accipite, libellum Vobis ſacrum. In qvo nihil de me majoribusq; meis affirmavi, nihil de ſtudiis Veſtris dedicavi; nihil in fortunam ſtrinxi, aut in ſtolidis demum improbisq; perſtrinxi, qvod Veſtræ cautioni eſſe noluerim. De Pietate unicè præcepi ac præcipio, primâ Sapientum lege. Sine qvâ omnes Veſtri actûs aut nulli erunt, aut fuco detecto irriti. Nec ego tam de penu veſtro laboro, qvàm de vitæ certitudine: qvæ juſtis hac exeuntibus inter Superos erit, illorum ſponſione. Alii aliis domûs ſuæ fruantur honoribus: Vos ab hîs veluti primordiis noſtri generis, cui aliqvam dignitatem adrogavêre pauca nomina, virtute duce in majora ite, mea gens. Dabam Elbingæ anno ult. temp. M. DC. XLIV. Regio Reiq; publ. noſtræ Præſide Iſraële Iſr. F. Hoppio, X. Cal. Ianuar. ipſo natali die FRIDERICI Veſtrûm minimi, filii Illius luſtrici.

Pater Veſter

Frid. Zamelius.

Ad Sereniſs: ac Potentiſs: Poloniæ ac Sveciæ Regem VLADISLAUM IV.

TAntus honor pacis Te, Vladislae, *ſub uno eſt.*
Illius ut placidum rura loquantur opus.
Imperii ſunt iſta Tui. Nam cœtera mundi,
Quodq; Tuum non eſt, Martius horror habet.
Qui venit, inq; ipſo Tua limine Regna tuetur;
Hæc, inquit, certè rura Polonus arat.

De Eodem.

BElla gerunt in ſe temeratâ pace Britanni:
Colliſosq; vident ultima regna Gothos.
Excubat in rigidis omnis Germania caſtris:
Threiciasq; timet Savus & Iſter opes.
Quanta fides Superûm eſt! dum Rex pietate meretur,
Exercet patrios Sarmata tutus agros.

Ad cives ſuos.

DIſce meus Civis, de quo Tibi caverit olim
Rex Tuus: in Thracum trux genus arma tulit.
In Moſchos ivit. Procul omnia finibus egit.
Res erat, ut populis parceret ille ſuis.
Collige de Svecis è Regno pace remotis.
Hanc dedit, atq; moras rupit amore Tui.

Ad liberos.

INcidimus, nati, Sanctorum in tempora Regum.
Non ſatis eſt Iuſtos dicere, ſive Pios.
Quo præſtant gemino, nomen conceſſit in unum.
Nec nobis ſatis hoc, nec ſatis illud erat.
Servati pietate ſumus, cùm bella quiêrant.
Nunc patrio noſtras jure tuentur opes.

Cùm stent tam solido res nostræ robore, constat
In terris genitos non minùs esse deos.

Ad Eosdem.

ACcipe, quam primam Tibi, gens mea parvula, legem,
Non ego sed Superûm svadeat ipse pater.
Numinis æterni timor & veneratio Regis
Vim primæ & summam, stirps mea, legis habent.
Vt scirent homines, quâ Reges sede locasset;
Se jubet ac deinceps Regia corda coli.

Ad Gotofredum F.

TRes Tibi commendo, natorum maxime, linguas
Hasq; volo curæ fratribus esse Tuis.
Discite Sarmaticas cum Grajo idiomate voces:
Et Latiis manent ora diserta sonis.
Artibus hoc satis est doctis, satis usibus ipsis.
Nec veto, si referat vox homoglotta Syrum.

In Pappium versificatorem ineptum.

FAgina cùm Tua sint nulloq; sedilia cultu,
Et pateat septem tota diæta pedes;
Quei molli conviva Tuus discumbit in ostro,
Ac veniunt structis pallia digna thoris?
Condita quei Fabio sub Consule Massica promis,
Perq; omnes volitant Murrhina vasa manûs?
Tracta quoq; in multam memoras convivia noctem,
Et poscit soleas turba abitura domum.
Quæ nugæ, Pappi? numquam mera dicta bibisti,
Nec sumta est humeris synthesis ista Tuis.
Tecum nec civis cœnat, nec dissitus hospes.
Pictus ad hos lectos credo Metellus abit.

De

De soleis adeo res est incerta repostis;
Sæpe ut, quam poscas, sit Tibi nulla domi.

De prandio Godii.

VIr bonus est Godius: de solâ ludimus offâ.
Detractum famæ nil putet esse suæ.
Sic ego cum magnis sum sæpe jocatus amicis:
Sic ego nunc Tecum nugor, amice Godi.
Illius accessi conviva rogatus ad ædes:
Constabant acidis prandia tota cibis.
Brassica fermento brumæ servata per imbres,
Et simul à fumo durâ suilla data est,
Innabat raphani silvestris bubula succo,
Atq; à corrupto venit ovilla mero.
Omnia dispuleris misso fastidia potu:
Talia verba mihi scilicet ipse dabam.
A Rheno nomen, sed quod dixisset acetum,
Qvicumq; in Latio vina Falerna bibit.
Sæpe mihi Godius: Contractam exporrige frontem.
Respondi: hæc aliquid tempora nubis habent.
Instat, quid Catharæ parvisq; Quiritibus esset?
Horum, inquam, nostro pocula felle carent.
Tum Godius: degunt ætas ignara malorum:
Et nos non aliam viximus ambrosiam.

In Senectutem.

DVra Senectus! ô genetrix & alumna dolorum,
Et non pro votis otia nacta Tuis!
Et qvorsum resides, si nec Tibi sessio prodest?
Et stomacho langves, & perit omnium amor.

In Juventutem.

Vana.

Vana juventus! ô stolidi nutricula luxûs,
Et non pro rebus vota secuta Tuis!
Et qvorsum graderis, si Te spectacula perdunt?
Improba dum pascis lumina, Te perimis.

De Aulo & fratribus.

Ignem quem cœli est furatus ab arce Prometheus,
Ablatum geminis fratribus Aulus habet.

Ad Candidum.

Inter Grammaticas pereunt mea tempora nugas,
Pæneq́ non aliam cudo recudo fabulam.
Nunc Rami decreta placent, nunc scita Micylli:
Hic secat in partes qvatuor, ille duas.
Alvaro sunt qui præeunte recentia forment
Pectora, non aliud qværere jussa vadum.
Quid dicam? hos cœpto decurrere tramite vidi,
Staret ut ambiguo cœtera turba pede.
Omnia sunt potiora vagis. Si spina rudis, si
Cespes iners superest; hunc suus ignis edet.
Plusquam Grammaticâ fulgebit luce magister
Tullius, & Latii Comicus Afer honos.
Quid statuam, qværis: dico nihil esse novandum;
In ludo novitas, Candide, nulla proba est.

Ad liberos.

Natalis meus est. Vos illum optate, puelli,
Venturosq́ dies nubis habere parum.
Non omnes, mea turba, Notos, non deprecor horam,
Quæ lætam turbet parte minore diem.
Plurima de nostris, quæ mensam hanc Vosq́ coronant,
Vt visum, irato dI tribuêre polo.

Tripes

Tripes.

EXili gemino, grandi qvi tertius esset,
Venit inæqvalis sub mea tecta tripes.
Qværebam: astuto dixit ferrarius ore:
Ad Pruteniacum factus hic est tripodem.

Ad Aulum.

AVle, tace: nihil est ullo sub pectore tutum.
Si qvid servari vis bene, conde Tuo.
Secretò dixi per sacramenta rogatis,
Qvæ retulit toti pica loqvax populo.

In Venerem.

STulta Venus thalamo postqvam consensit Amoris,
Et Psyche est isto fœdere facta nurus;
Qvid Venerem colimus, qvos sauciat ille Cupido?
Este sacris juvenes his procul, este senes.
Vrimur in teneris promiscua turba puellis.
Aut avia aut anus est, qvæ socrus esse potest.

In Claram.

PArva qvidem, at tumida es. Ranam Te diximus olim.
At quæ nunc fama est, plus tibi Clara dedit.
Audio (qvis taceat?) cùm sis ut muscula vilis,
Te bene pulsato condere jura viro.
Qvis risum teneat? par vir Tuus Hectoris esset,
Pelides illi Tu nisi, Clara, fores.

In qvemdam.

SÆpe quòd uxorem populo spectante remulces,
Osculaq; alterni figitis; hoc nimium est.
Sæpe qvòd uxori populo spectante minaris,
Probraq; cum colafis ingeris; hoc nimium est.

Aut

Aut odia, aut fatuos populus traducit amores.
Quod vos componat rectius, hoc medium est.

Ad Carolo Theodoricum filium.

HVc puer huc Theodore *puer, qvo primula Veris,*
Flosq; verecundi calle pudoris hiat.
Carius hoc, mi nate, decus qvò rarius ipsum est,
Qvàm cùm mollis obit Iupiter omne nemus.
Accipe, qvid violæ qvid primula dicere possit:
O puer, ingenio vivere disce meo.
Spectamur, faciesq; placet. Sed finge subesse,
Quod nasus fugiat læsus odore gravi,
Quosq; boni odissent juvenili in corpore mores;
Et puer, & flores futile germen erunt.

De hortis.

AB ultimis Fazellus hospes Gadibus,
Verùm integrâ fide mihi junctissimus
Rogavit à me, si bene memini, inqviens:
Qvid hortus hic, qvid ille; qvales advenæ
Sub Sole vestræ vidimus Borussiæ;
Qvid præstat aut confert suis cultoribus?
Cùm Noricam vitem, inqvio, oleam, anygdalum,
Vel impotens Canicula vel intensius,
Quod plurimùm sævit, gelu corruperit,
Omnemq; sobolem exoticam deleverit;
Vt palmes alter, altera olea, & amygdalus,
Et viola ab Idâ deferatur altera,
Pervincit illud imaginarium bonum.
Hoc præstat, ut loculi leventur pondere,
Exenterato simus ut marsupio,
Plus depleatur cantharorum in otio,

Et

Et rerum in herbâ occasiones transeant,
Dum mensium omnino trium est apricitas.

Justo Puteano.

Belga Tuus pater est: hunc suspexêre Batavi.
Iuste, minus merito est. Id prope limen habet.
Suspicit & Gallus: gentes stupuêre Latinæ:
Hocq; magis, Latiæ pars quia gentis, amant.
Et suboles tamti nobis es cara parentis:
Vltima Mænaliæ quos habet ora feræ.

Nuptiis Paulli Sabovii Poëtæ Cæs. senis qvinquagenarii.

Ergò virginibus ferunt,
Nempe illis Heliconiis
Iunctos esse Poëtas;
Vt ducant, quoties vacat
Dulci compare lectulus;
Formosas, generosas?
Nullusne in viduas amor,
Et spretum genus alteri est
Olim nexa marito?
Prorsùs prorsùs id attinet.
Nobis Sol deus integer,
Divæ Musa novemplex.
Nos in virgineum decus
Nostris artibus ivimus,
Lætâ frunde revincti.
Nil nobis genialium
Horarum negat Actius,
Aut Pimpleides almæ.
Nullus non Paphiam rosam,
Omnis dat violam locus,
Et promiscuus annus.
Rem. Vatum asserui. Tuis
Illam assvescere moribus,
Triti cautio secli est.
At si talibus immorer,
Plus est nostra quod indoles
Istis suggerat orsis.
Quicquid particulæ meo
Detur versifici, probè
Quartâ luce refictum est.
Præstat, mi Sabovi, tamen
Fulcro non opis indigo
Niti urgente senectâ.
Quo stent alta palatia,
Sit tibicen ahenëus.
Quorsum imbellis arundo?

Tithonum

Tithonum sopor urgeat
Æternus, nisi conjugis
Gratas carperet auras.
Succiplena erat Idalis,
Cùm divæ in teneros sinûs
Tardus Mulciber iret.
Iactat rumor Osiridem,
Et lecti decus Isidem.
Annis ille præibat.
Nec par in paribus vigor.
Natu vir nisi major est,
Vxor prima senescet.
Tussis, fœdus anhelitus,
Es morosa loquacitas
Istis sola supersunt.
Ne febri doleas Tuâ,
Tecum participat suam
Conjux obsita rugis.
De solis Hecubis loquor.
Quis spernat teres osculum,
Solum morte mariti?
Qui Vates laceret nurum,
Quæ mœrens viduâ domo
More atq; ore puella est?
Si quid prætulimus tamen,
Vt certè exiguum, tamen
Hoc intacta virago est.
Qualis de grege Najadum
Te complexa decentiùs
Primo vota duello est.
Illi nectar amasium,
Quacùmq; intulerit gradum,
Sparget mater Amorum.
Ævi differitas thoro
Æquatur. Bene viximus,
Si par forma modestis.
Hoc est, mi Sabovi, alterum
Felicis thalami Bonum:
De quo grator adepto.
Ex hoc nascitur alterum,
Quod porrò annuerint dii,
Longâ ætate fruendum:
Concors tæda, parentibus
Proles grata, furentibus
Euris dulce levamen.
Nunc Vos ad Zygiæ sonum
Inter volta faventium
Festos edite plausûs.

Ad liberos

DE linguis, pueri. Maternæ astringimur usu.
Huîc quoq; de priscis gloria constat avis.
Et decus & pietas è Græcis fontibus hausta est:
Quoq; colas animum, sermo Latinus habet.
Murmure Bardorum confusas spernite voces.
Nec Deus his usus, nec pia turba Patrum est.

Gerardo

Gerardo Coërdes hospiti.

SAtis, Gerarde, qvod supèr libaminum
Hesternâ ab arâ: qvâ Iovi dapaliter
Xenio supremam ad noctis horam fecimus:
Et pridiani est apparatûs sat gelu
Quæsitiorum piscium atq; carnium.
Cave adstruas vel hoc vel illud plusculum.
Nihil indigemus hinc ituri plurium.
At si propinas, amplius, habitioribus
Meis comitibus funde Gilio & Narßio.
Sed nunc eundum est, mi. Gerarde hac dexterâ
Devincte & animo mihi. Vale Deo sospite.

In Nonum.

MOnstrosâ facie es, vox est Tibi tetrica. Quorsum
Induis hirsuti vellus inane capri?
Quod noctu fingis, potes ipsâ luce videri.
Cerdoni pelles. None, remitte suas.

De Mævio.

DE Mevio paucis rogârat Appius
Mamertium civem illius Gythonio.
Mamertius, uti ajunt eodem à circulo
Qvi venerant, uihil moratus cætera
Hæc reddidit: Poëta Laureatus est.
Nam tænias lemnisco honestas vidimus.
Iterum Appius: Quoniam Camœnas Mevii
Nec ipse vidi, nec fuit qvisquam hactenus
Alius mihi, vidisse qvi se diceret;
Id exigo, num Mævius Poeta sit?

Mamertius ubi paullulùm cunctatus est,
Istuc eqvidem mecastor, inquit, nescio.

Ad Christum Jesum.

VIncula solve: Tuum, Iesu, sitit anxia visum
Mens mea, ceu fontis cervus anhelat aquam.
Heic Tibi, Rex Superûm, supplex provolvor & oro,
Ne reus ob noxam judicer ore Tuo.
Omnia conservæ dispunxi debita turbæ.
Ah minimum hoc totum est! maxima culpa mea est.

Ad Gotofredum fil. in silvis.

Majores, & lustro fratrem, Gotofrede, relinquis.
Te duce fac post me Theiodoricus eat.
Adspice, ut incultis vestigia nana salebris
Deprimat, & teneros hauriat ulva pedes.
Te comitem inclamat, vult à Te fratre juvari.
Hanc primam in silvis, qvam potes, affer opem.

Ad liberos in hortis.

OH nihil est, pueri, fatuas conscendere prunos,
Et niti infirmo præcipitiq; gradu.
Sunt humiles coryli, qvarum nux obvia velli
Inter tot calycas pondere victa rogat.
Dulcia qvid vani jactatis amygdala pupi?
Non ego maturas ante nuces habeo.

Ad Sabinum.

MInimè est, Sabine. Temulentam dixeras
Corneliam: qvi proximè habitant, hi negant.
Vinum odit omne veluti præsens toxicum.
Simul heluonibus, Strigumq; pessimis

Noctu

Noctu aßidet meretricio sub fornice;
Quod potat, illud spißior cerevisia est.

In Cleomachum.

Fingis, refingis Tua, Cleomache, septimùm.
Iterum Tuus refingit hospes Leodio.
Modò hoc modò illud displicet. Nihil editis,
Semper manente Codice liturario.

In Fidentium.

MAnius est fatuus: sed si qvis non sapit ultra
Immundum vulgus, mâlit sibi Manius esse.
Imperat, & Reges amplâ ditione coercet
Augustum genus ipse diis majoribus ortus:
Immensas moderatur opes, frangitq; clientem
Providus, & Siculas largitur egentibus arces.
Gratuitò vivit parvo Lare nec satis alto,
Plebejoq; garo componit oluscula nuper
Lecta qvibus placuit (nam nemo illi invidet) hortis.
Rides, Fidenti? Nemo est insanior ac Tu.
Dicam, qvæ sitias? sunt hæc majora, Tu qvàm
Ferre qveant scapulæ. Dum nil sibi Manius optat;
Major stultitia est, spem sustentare negati.

De Sunnio.

SVnnius est viduus: nec, si modò vera fatetur,
Intrabit viduos altera nupta thoros.
Qvi violam, Paphiasq; rosas & molle selinum
Saltat, eum nobis verba dedisse puto.

Ad liberos.

QVos faciant sumtus hominum pars maxima ventri,
Qvot perimat Soles improba cura gulæ,

Corpora

Corpora quot pereant uni mactata guloni,
Adspice frugali gens mea salva cibo.
Quo nunc & senos vitam tolerasset in annos,
Consumsit lustri tempore civis edax.

In obitum Nobiliss: Consultiss:

DN. GERARDI COËRDES V. J. D.

Consist. Pomesan: Officialis.

TV quæ post obitum tollis Te fama Coërdæ
Æqvior, à nobis amplius illud habe.
Vidimus alterni, nec amoris symbola deerant.
Sed jacuit veluti tempore rupta fides.
Lustra duo exierant: pluvio Iove fortè subibam
Tecta viri, cunctis quæ patuêre bonis.
Venimus Elbingâ, *cùm sciсceret ille, repono.*
Tùm de me quid non, ac sine fine rogat?
Quære, inquam, ex ipso, morososq; induo vultûs.
Protenus amplexu me fovet ille suo.
Atq; idem es, dixit: Tuq; ô mihi care Zameli,
Noveris his fibris nomen inesse Tuum.
At Superûm hoc imi est: quâ Numina parte locabis?
Sedibus his, reddit, præsidet ipse Deus.
Sedibus his animas hac mente recolligo dignas.
Quamta fides, postquam rebus aperta fuit!
Vxor erat peregre, visusq; erat esse Philemon:
At quamvis clauso mensa onerata penu est.
Non ego pars Superûm: tamen ut Cyllenius ales
Cum Iove venissent; quo colerentur, erat.
Mitto de dapium subitâ strue, mitto meracum.
Hæc quæ aderat probitas, hospite digna deo est.
Quicqud diffindat Minois Curia, vicit.
Divûm illi atq; hominum militat albus amor.

De

De Mævio.

ÆDibus occlusis dilectâ exclusus amicâ
 Mævius infames audet inire vias.
Tentat: & emenso pænè est aphedrone receptus,
 Hospite submisit cùm veniente manum.
Molliùs hic cecidit, quàm qui missurus amorem
 Fertur ab Ambraciis in fera saxa jugis.

Ad liberos suos.

SI quam videtis elegantem virginem;
Mea regna, mea sors, ô amici liberi,
Absit Cupido Vos lacessat ebrius.
Putate Vos videre formam futilem
Facie tenus. Nam cætera atro robori
Aptanda, tunicæ, pectoralia, annuli,
Monilia, armillæ & laborata omnia
Virtutum inane sæpe pectus ambiunt.
Cùm conjugalia Vos juvabunt fœdera,
In Vos malum ne quod redundet (& malum
In hoc negotio quod est, hoc maximum est)
Modestiam cultu in modesto quærite.

De Tomyri puellâ.

QVid ploret Tomyris, rogant amantes.
Sed caussam tegit illa, nec fatetur.
Dicam. Cùm juvenes ament noveni,
Se formâ dolet esse, si venustâ,
At non ad studium venustiore.
Mallet mille placere, quàm novenis.

Ad filios carissimos.

Proge-

PRogenies Scythicæ *sumus, ô mea pignera, gentis.*
Finibus in primis Cæsaris ara fuit.
Asperiore polo tellus inculta jacebat,
Prædaq; ab obscuro tramite victus erat.
Oderunt sedes plus atræ noctis habentes,
Ac metus extra Solis inane solum.
Venit, & Istuleo gavisus fonte Boruscus
Venedicis fixit castra Laremq; jugis.
Collibus his Veneto mansit vetus incola pago.
Proxima robustus rura Sydinus arat.
In genus hoc Latias olim transisse cohortes
Non dubito: Latium vocula rara sapit.
Ardua cingebant sacræ Capitolia quercûs,
Imperiiq; caput nomine R*oma fuit.*
Æterni luxêre deûm penetralibus ignes,
Picumnoq; suus stabat in æde focus.
Quid mirum Argolicas passim intercurrere voces?
Hinc ortum, hinc cultum sermo Latinus habet.
Secula transierant, Solymæ cùm miles inultæ
Prussica neglectis vertit in arva Syris.
Favit Christicolis nostri cognominis autor,
Clàmq; suâ duro tempore fovit ope.
Elbingæ jam dira fames pugnabat & altæ
Christopoli, ad portas cùm stetit alma Ceres.
Samilen *dixêre* senem*: vox signat* amatum.
Fecerat hæc illi nomina gentis amor.
Zeta suo Slavi commutant Sigma Pelasgum.
Zamilen *scribunt haut abeunte sono.*
Napulen *legit hic:* Namilen *legerat alter.*
Plus noxæ primo proximus error habet.
Annales superant, his qui expresſêre Samilen.
Incautum potuit fallere segnis apex.

Fortè

Fortè & cùm rigidi subiissent gesta Nalubæ,
Confudit. Veniam quis neget? hospes erat
Hic qui de ducibus bis sex assurgere visus
Fila per unius dirigit urbis opes.
Quid porrò exclamem? quot sunt in origine nugæ!
Quò totidem fratres à Videnute sati?
Ille quidem fuerit, numerum tamen edo minorem:
Nomina post populos quis putet orta suos?
Sudinæ gentes & res Galinda vigebat,
Cùm nondum Scythicis legit electra puer.
Hunc mihi Zodiacum rudior suppleverat ætas.
Quisquis sit, primum turba secuta fabrum est.
Zamilen repeto. Proniis regnabat in agris.
Dena & sex passûm millia Drusis abest.
Surgana obit fines: quæ cùm subit æquora Drusi,
Dote velut cancro se meliore probat.
Tunc mea Barbaricâ gens nobilitate valebat:
Curradus Scythicas Præses agebat opes.
Sensit Stauroforis hominem fera natio junctum,
Pœnarumq; graves est meditata modos.
Venerat in nexûs: ut hiabant ora coacti,
Ferventem infudit trux popularis aquam.
Tum verubus religant: & adustus mittitur hosti.
Aura super fuerat, nec satis aura super.
Vixit Teutonicis exul securior armis,
Et generi partâ pace remisit agrum.
Illo Tustinus pridem satus unica proles.
Hoc genitus Laurens, hoc Tilemannus erat.
Hinc Clemens, Thomasq; celer, triplicesq; Jacobi
Ordine: ab hoc proavus posteriore meus.
Primus hic Elbingam Proniis descendit ab oris.
Caussa gravis casu de graviore data est.

 Orsa

Orsa monent veterum Patriæ gentisq; laborum,
Sed præstat positas condere nocte faces.
Turbida si memorem; quid non puer ausus in hostem est,
A stratis jussum Ditis adire domum?
Doctus ab his, idem cùm venerat hostis & hospes,
Qui malè defenso rem posuêre sacro.
Fratrem aluit Dafnin: Thoman ex fratre nepotem
Novimus: hoc natus nomine dictus avi est.
His domus ambigui prope munimenta Nogedi.
Extinctos dominæ nunc tegit arcis ager.
A proavo Simon avus est Johanne profectus,
Et gemini fratres: hinc patruele sat.
Par memini mento fruticante habuisse sororum,
Admotâq; puer tangere sæpe manu.
Esse genus durum facies barbata ferebat.
Atq; avus, ut series explicat, iste fuit.
Sunt qui odêre virum: sed quid mastiges habebant?
Majorum cultor relligionis erat.
Quem pater insequitur. Certâ ratione dabatur,
Quod nomen deinceps jusserat esse meum.
Privignos habuit Simon sterilemq; maritam:
Hinc lis de matris quotidiana bonis.
Reddita supremum conjux est fœta sub annum,
Et patre monstrato pugna diremta meo est.
Palladis ille qvidem secum portabat olivas:
Tertia sed matrem sustulit acta dies.
Gertrudis fuit hæc Mylii dilecta Iocimi
Filia: quod solitus sæpe referre pater.
Illi ex fratre nepos: Fabium dixêre GeorgI;
Atria quo proavo gens Bodekera colit.
At Tu natorum minimus Federice meorum
Nomen habes nostrum: pars Gotofrede Tua est.

Carole

Carole *Tu partem fers* Theiodorice *sequentem*,
Hic ortus meus est, hoc genus, unde pater.
Antiquo subii bis sexta propago Zamilæ:
Contiguo sequeris Tu bona Triga gradu.
Octo bis exierant bis ademto secula lustro
A genito, qui res divûm hominumq; regit.
Ante sacras Iani lux quarta refulserat Idûs,
Cùm primum generis me dedit alma parens.
Bis geminos habui fratres, totidemq; sorores.
Tota hæc est nostrâ condita turba manu.
Cyrjaco, Samueleq; Nicoleoq; & Achate,
Fratribus his natu major Elisa *fuit.*
In mediis Reginæ ambæ Christinaq; : *de quâ*
Editus est artes doctus Hygeia Tuas.
Qui patruum (fuit ille Arabum lustrator Achates,
Namq; erat & patri dura noverca meo)
Qui patruum vidi, cui vixit avunculus, & gens,
O numquam siccis nomina dicta genis!
Quid recolam Te fida soror, Te frater, & hoc par,
Quod genuit? post tot funera solus ago.
Vos, pueri, obtestor tot lumina cara secutos:
Este meæ columen præsidiumq; domûs!
Primus ego è totâ sum gente professus amorem
Numinis Ortygii Thespiadumq; chori.
Druside formabar sub præceptore noveno.
Sit probitas illis: quo foveantur, adest.
Septenum attigeram decimum maturior annum,
Cùm mihi doctores culta Thoruna dedit.
Dilecti quondam mea cura quiescite Vates.
Hinc Gedanum verti patre monente pedem.
Fare priùs, lætâ quàm flectas arce GythonI,
Numquam oblita Tibi, mens mea, corda duo.

Si modò, magnorum dux Keckermane *Sophorum.*
Profeci; fateor pollicis esse Tui.
Et mihi, Tu Lyrici Princeps Laubane *Senatûs,*
Cantanti digitum tollere visus eras.
Ottocaris *placuit, postquam excessêre Magistri:*
Quem conjurati dI coluêre locum.
Hôc ad Varniacam *sortes egêre Minervam.*
Lubinum *accessi: cûi mea puncta dabam.*
Littore digressus vicina per arva Caycis
Leucoridos subii templa venusta deæ.
Heic mihi Theiologos & Ius ex asse crepabant.
Quem sequerer, Saliâ gente Columbus *erat.*
Discincti ferro incedunt mansveta professi.
Nocte dolus tegitur, tutaq́ nulla via est.
Magna patrum manus est, vitio quæ sudat alendo:
Et Venerum pretiis numus avitus abit.
Sunt rari, sunt qui venêre ad summa merendo.
Hos, pueri, Vobis hos ego monstro duces.
Pòst Hermundurjæ *nos invitastis* Athenæ,
Et qui Pierias Guttale *volvis aquas.*
Bellorum immunes tunc utraq́ terra fuistis:
Nec Gothicas Ister noverat ipse minas.
Hæc mihi Teutonici non longo tramite Regni,
Tempore nec longo meta peracta viæ.
Pisa quot-exhibitis spectacula curat aristis,
Tot lectas habui missus ab urbe meâ.
Non ego Romano *quæsivi in pulvere Romam.*
Hanc mihi condebant, qui tenuêre, Patres.
Cùm nihil externi quereretur Patria ritûs,
Ex illis Latios sum speculatus agros.
Quid Tiberin spectas fluvium cognata juventus?
Sæpe Tuas nullis usibus hausit opes.

Sunt

Sunt maria & terræ Siculi trans claustra Pelori,
Et vastos aperit Memnonis ora sinûs.
Cùm patuit Ganges, sunt porrò immensa colentes.
Si ratio & virtus ducit, adire para.
Cur soboli (hoc caput est) æris quadrantur acervi,
Si perit in vanis sors cumulata bonis?
Si quos majorum rectè ignoraverat ætas,
Adsciscunt mores lubrica corda novos?
Quid referam, quo se frangant patrimonia luxu?
Quàm nullus sceleri sit modus, atq; pudor?
Qui nævos alibi contemto quæris honesto,
Digniùs in patrio stent Tua vela salo.
Maternos videamus avos. Præconsule dignos
Fermannus fasces Potiniusq; tulit.
Hic abavus meus est: nec distat longiùs alter.
Morte patrum stirps est utraq; juncta thoro.
Est mihi Matthias alter Cunradus avorum.
Hoc & Fermannâ mater Elisa sata est.
Istud eam parientis erat de nomine nomen
Illius, hanc olim quæ peperisset avo.
Didones igitur dicas tres ordine matres:
Quamlibèt his cunctis deforet Anna soror.
Trina soror quàmvis mediæ, cùm nulla priori,
Extremæ solo de patre quarta foret.
Nicoleon germanum habuit. Cùm matris adiret
Ille domum, his manibus munera parva dabat.
Sæpe meam oscillis ditavit avunculus aulam.
Hæc mihi cum pictis regna fuêre libris.
Potinio traxit proavo de Consule nomen.
Consulis Errici displicuisse ferunt.
De patre nolebat Michaële puerpera poni.
Patris & istius sors qua vetabat avi.

Pars

Pars mea Munceri: *Consul clarissimus alter:*
Aonias alter largiùs hausit aquas.
Fortè ego sum Vates, major quòd avunculus esset.
Perpetuis Elegis illius extat opus.
Qvicquid in hoc decorum, naturam appello potentem,
Hanc ego Vos jubeo, non mea vota, sequi.
Sufficit in nostros Musarum gratia lusûs.
Quâ vitam trahimus, res aliunde data est.
Sed sit & ista fides non nomina vana secuto:
Pluribus è studiis est mihi partus honos.
Carminis à solâ promittere lege Poëtam,
Non bene ducentis cura supina fuit.
Sic egi, ut censu tot avorum dignus haberer,
Par titulis populi crederer esse mei.
Vos ad Parthenopen maternum stemma Borussam
Avocat. Hinc nobis utraq; tæda fuit.
Zesselii *Proceres,* Myliiq; *à* pneumate *dicti*
In proavis, major nate, fuêre Tuis.
Sunt Vobis, Hesii, *quosq; hæc cognatio tradet.*
Trunccorum, *ut vidi, stat decus omne domo.*
Si Themidos Lauri veniunt in jure nepotum,
Has Hesius *Consul Vester habebat avus.*
Tres Soles, Gotofrede, *Tibi* Catharina *superstes*
Mater erat: fratrum est nunc-Catharina *parens.*
Noveris hæc itidem, tria me superasse maritum
Lustra priùs, mater quàm Tua juncta mihi est.
Post viduos Theodora *thoros* Calosilvia *mecum*
Vixit: & ista mihi copula prima fuit.
Tum genetrice Tuâ menses ter quinq; fruebar:
Deinde Platenéum *venit* Elisa *genus.*
Quid Tibi commemorem? satis est meminisse dolorum,
Rapta mihi est, & tunc altera cessit hiems.

Nunc

Nunc mihi cum Catharâ *ſint omni labe carentes,*
Etſi non omni ſint ſine nube, dies.
Non ego Deucalion de Pyrrhâ glorior unâ:
Nec vir Penelopes unius eſſe ferar.
Et tamen inceſtos Paridis damnavimus ignes.
Iſta meæ, pueri, fata fuêre domûs.
Vos meritis olim virtutem oſtendite factis:
Et generis noſtri gloria major erit.
Creſcetis, venietq́ſuis amor improbus annis,
Stabitq́ ad Veſtras pronuba Iuno fores.
Diva potens patriis tædas accendat ab aris.
Sæpius externæ deſtituêre faces.
Ibitis infidâ per naufraga littora puppi,
Si qua erit in ſocio culpa dolusq́ thoro.
Cùm fato excedam, memores eſtote ſororum.
Hoc Gotoliba, *bis hoc* Adelogunda *rogat.*
Primum eſt in rebus, lexq́ eſt æterna bonorum,
Veſtraq́ erit, caſtâ mente fovere Deum.
Si fuerit genius, populis qui noſtra probavit,
Zameliâ *ornentur Regia geſta manu.*
Terrarum dominos habui Superosq́ faventes,
Ingenii quoties res fuit illa mei.
In Te præcipuè, Rex Vladisläe, *colendo*
Mens qua mihi hoc animi robore major erat.
Vive mihi generisq́ mei tutiſſima rebus
Ancora. Iuſſiſti ſpes ſemel eſſe ratas.
Quæ res humanas, mundi quæ jura tuetur,
Eſt dIs eſt Vobis Regibis iſta fides.
As Vos creſcentes cœlo oſtentare Poëtas,
Stirps mea; ſit ſtudiis ſat meruiſſe meis.
De genere extremum eſt. Scythicos quis ſpreverit ortûs,
Si mihi non alios Teuto reponit avos?

Sunt

Sunt qui Vos miserum jubeant ediscere carmen.
Discite de Vestrâ gente Poëma meum.

Ad eosdem.

SI quid parentis gratiâ precamini,
Zameliana gens, & astruunt dii
Vitæ aureo bis absoluto plusculum;
Orate Superos sanitatem corporis
Animiq; item. Quò vivere est obnoxium
Arthritidi, & velcalculosis renibus,
Aliisq;, quorum exercitus, doloribus?
Esto sapienti imperium in hæc mala integrum
(Nihil obloquor) sed frangitur tamdem & perit.

Ad Fridericum filium.

PVpus es, & fratrum minimus Federice *Tuorum:*
Incumbetq; gravis sors Tibi morte meâ.
Firma animum, superaq; omnem virtute laborem:
Quodq; erit, in sumtus crede sat esse Tuos.
Et fore non dubito, meus ô cognominis hæres,
Ad Te qui dicant: Pro patre noster eris.

De Marthâ.

MArtha lacessito mentita rubore juventam
Cum juvene assedit jam placitura proco.
Hic, postquam macies ostensa colore fugato,
Horruit illam inter consenuisse manûs.
Nubite dum vigor est, aut hanc deponite curam.
Fallitur in fictis, sed citò mutat amor.

In Macrum.

QVòd nihil ædifico, mihi sit domus integra, sed quòd
Vna sit, Oeconomum me negat esse Macer.

Ædificat,

Ædificat, fabrosq́ Macer conducit in horas.
Oeconomum, quicquid se putet esse, nego.

In eumdem.

QVòd Macer impendit sua vectigalia fabris,
Hoc est velle domum perdere mole novâ.
Sola illi immensum proscripsit pergula fundum.
Quid faciet moles tamta nec ære Macri?

AD REVERENDUM CLARISSIMUMq; VIRUM DN. M. BALTHASAREM VOIDIUM, cùm illi à Magnifico ac Nobiliss. Comite Palatino Cæs. ac Eqv: WILLICHIO WESTHOVIO, Canonico Lundensi Delfica Laurus collata esset anno M. DC. XLIV.

DVdum Pierides, dudum Tibi Gratia triplex
Illicis ad famæ templa fuêre duces.
Has Te Castaliâ pariter donasse corollâ
WESTHOVIO *liquidùm teste docere potes.*
De me. Cùm nostris ea res innotuit oris,
Hac solâ asserui gaudia cœpta fide.
Nam si quid Pyliæ vidi par esse senectæ;
Iste habitus, os est istud, & ista manus.
Hæreat in mutis vaga conjectura sigillis,
Et fallant tabulæ, nec satis æra probent;
Meeum Varniacæ sub Palladis ægide vixit:
Vixit & in Philyris contiguâq; domo.
Iunior excelsæ venerabar frontis honorem,
Virq; suo ex studiis indice dignus erat.
Hoc meus ignorat Cimber fugientibus annis:
Atq; ego tunc venâ pauperiore fui.
Vidi quem sequerer, qui me comtemnere posset:
Nec voto stetimus tiroq; duxq; pari.

Quò pietas, VOIDI, quò virtus major in ipso est,
Nobiliore datur servia texta manu.
Proxima Minciadæ pones vestigia signis:
Et vetus esse Tibi Patria Sulmo volet.
Te civem Verona optet, Te Roma Tibullo
Gaudeat, & Sexto Cynthia culta suo.
Quorsum est ad nostros-nuper descendere Vates?
Non aliâ in laudum parte Melissus erat.
Taubmannum colui: potes has æquare Columbas,
Cumq́ꝫ Caledoniis nomen habere Cycnis.
Transeo Acidalium: Gruteros mitto Fabrosq́ꝫ:
Nec de Chytræis, Frenceliisq́ꝫ loquor.
Salbachios taceo, vixq́ꝫ illâ sede repostos.
Nam quorum differt pes, minor ille Tuo est.
Esse aliquid dixi, meruisse à Cæsare laurum,
Quàqꝫ virent illæ lætiùs, inde dari.
Iactavi nostras non inter compita sertas,
Ac Latiis habui sat placuisse diis.
Vt tamen his placui, nec præmia nostra latebant:
Et titulos aliqua est canna locuta meos.
Nos Jovis armigero superavimus alite nimbos:
Nos jubar exoriens, & bona Pallas alit.
Sed quòd Hyperboreæ veniunt Tibi germina Dafnes,
Ex re difficili gloria nata Tua est.
Si qua fides famæ est, Borean habitavit Apollo:
Ad Delon castæ dona tulêre nurûs.
Pompa erat, Actææ qualem duxêre puellæ,
Cùm patriæ colerent annua festa deæ.
O Superi! qui tamtus amor, quæ tamta cupido
Misit ad ignotos innuba corda Lares?
Græcia succubuit læsâ pietate ferentum.
Ah raptus Gothicæ est virginitatis honos!

Hinc

Hinc deus Aoniæ justas accensus in iras
Nunc quoq; Cefisum spernit & Arcton amat.
Pirenen temerasse ferunt, Pindumq; minacem
Lanigero Thracum prostituisse gregi.
Qualis in ingratos minimè Saturnius agros
Depluit, infestas odit Apollo vias.
Et Boreas ederam positasq; in præmia laurûs,
Dum non averso Sole feruntur, habet.
His tamen absuerit Phæbëia gentibus arbor,
Luxuriat multis picea silva plagis.
De pinu sertum, qui vicerit Isthmia, sumsit.
Nec deerat bimari laurea pinguis agro.
Hac Pan Arcadicum velavit timpora Numen:
Hac Fauni celeres impediêre comam.
Et Capitolino est dignas Iove cernere quercûs:
Quid? passim iliceis frundibus arva virent.
Inde satis decorum venturo spondeo Vati:
Si merces petitur, res ubi justa subest.
Vidisses Memorem ambitiosa brabéa rogantem,
Vidisses meritum; glande revinctus erat.
Quid Memorem obtendo? Collegia tota coibant:
Et coluit primos arbor amica Iovi.
Nescit, & obtrectat, qui se putat esse Poëtam.
Lemniscum certè non habet ille meum.
Sit nostrum, VOIDI, *patulo inclarescere mundo.*
Te sacra, me fontes ruraq; nota vehant.
Cùm nemore in viridi primos solabor amores;
Et referam, quæ sit cura secuta senem.
Cùm tamen hæc referam, quæ quondam grata fuissent,
Ac quæ nunc constent digna labore meo.
Seu mediter, quid cæcus amor aut carmina possint,
Seu quibus evites improba tela modis.

Tu festum panges divorum cultibus hymnum,
Praestando Vatem, queis operâre, focis.
Si qua dies, quae nos in eodem tramite sistet;
Tunc aliquid finges utile, more meo.
Praelia si canimus, quae Martia dixeris esse,
Idalis hoc campo pars nisi magna foret;
Si madidas à vite rosas, si plectra chorosq́;
Cornigeriq́; legis vina revincta dei,
Si mediâ intremuit percussus nocte Cithaeron,
Et rapimus thyrsos, Bacchica turba, Tuos;
Lusibus in nostris stolidi ridentur amantes.
Huc facit in partem scilicet îsse gregis.
Veriùs admissae commendant Maenades artem,
Et de vicinis Orgia visa jugis.
Huc Spartane puer: servileis inspice vultûs.
Est procul à nostris mentibus ille furor.
Nos Veneris regnum, nos sacra ululata crepamus:
Sed quae inter thyasos est data, nostra via est.
Omnibus attendit, tamen abstinet omnibus idem,
Qvisquis in hac optat cultior esse tribu.
Vt fugiant, quoties lecta est Babylonia Thisbe,
Nil profecturas mollia corda faces;
Vt discant Myrrhae quosvis horrescere casûs,
Et mala quae fuerant, haec graviora putent;
Artis opus nostrae est. Qui tristia singula finxit,
Et caussam tacitè dixit habere nefas.
Non sua Pasiphäen in scenam traxerat aetas.
Vixerit: ingratus carminis autor erat.
Si quod erat Thais, quod filia Solis, habetur;
Dicere de populo non licet ista Tuo.
Multa quidem stricto tanguntur crimina versu.
Hoc puncto, ut fatear, sufficit esse gravem.

Si Satyram spectas, nudam posuêre legentes.
Quæ juvat, in fictis cautio tota sita est.
Quid juvenes dicam? cùm nos sumsêre Catones,
Fronte suâ numquam nos voluêre legi.
Longiùs egredior: quæ condimus, exige Tecum.
Hac venit pietas & proba vita domo.
Prima rudimenta in nostris cœpêre Poëtis:
Vatibus est solis absoluisse datum.
Nos genus ætherium, Veneris nos turba pudicæ.
Exulat à nostris Martia fœda sacris.
Præmia, queis fruimur, transcendunt omnia vulgi.
Deliciæ Superûm nos sumus, unde sumus.
Nos qui cœlicolûm voces, magniq; Tonantis
Gaudia vulgamus nectareasq; dapes,
Astrigero soli Vates admittimur Orbi,
Ingressi quà stat celsior aula Iovis.
Protenus asserimur, cùm nos regnator Olympi
Vidit, & invitat nos Venus alma loco.
Fulmine defensa est nostris data frontibus arbor.
Illa & victores versificesq; colit.
Dic ubi sint violæ, quâ lilia parte rosæq;?
Hoc nos æterno munere Chloris obit.
Quisquis in hac nescit se majestate tueri,
Et lucrum à Clario pinguius amne rogat;
Noverit aversis operam sumsisse Camœnis,
As vacuâ populi se tenus aure vehi.
Ille fame nocui manes accesserit auri,
Inq; suam subeat flumina plena sitim.
Non ea de nostro penuria monte levatur.
Collibus his tener est cespes, & unda levis.
Interea summi gestamus tela parentis.
Et quæ non tellus nos Iovis instar habet?

DI me

DI me servârunt mala non vulgaria passum:
Hosq; duces habui, cùm mea palma fuit.
Astra mihi faveant: sistet fors improba, dixi.
Tu Tua de rebus collige fata meis.
Sæpè hilari risus, & quæ meditabar in arctis
Fortunæ atroces sustinuêre vices.
Difficile hoc aliis: ad se traxêre Poëtæ.
Hanc sibi virtutem gens mea semper habet.
Succurrunt nobis rerum monimenta priorum,
In quibus hærebant mista secunda malis.
Nos Regum exemplis, nos vulgi sorte docemur,
Certaq; de priscis norma peritur avis.
Et deus est aliquis, Vatum qui pectora mulcet,
Hisq; dat expertes nubibus ire dies.
Si novi quæ sit præsentia Numinis hujus
(Sed puto per longas me didicisse moras)
Invidiam vici: per carmina fortiter egi:
Inq; meas sprevi tetrica missus opes.
Quid non attigimus? quas non superavimus arces?
Quid non calcatum est hoc subeunte deo?
A stomacho crudæ sumsi mea robora plebis:
Et jacuit nostris versibus icta Chloë.
Gellia quid potuit? læsi fuit hostia Vatis:
Nec nostro in rabiem Lælia versa malo est.
Ne tamtum doleas, ô Nævia! Plura supersunt
Spicula. Quod dedimus, non grave vulnus erat.
Invidet, & blandâ Chione me voce salutat.
Flectitur irato cauta puella Iovi.
Cœlia me amplexa est concitis saucia telis.
Ah quoties dixit! cætera nostra tace.
Dicite, quos Vatum semel advertêre libelli:
Si censura brevis, sed tamen apta fuit;

Tum

Tum ſubeant eadem commiſſa; quid attinet ultrà,
Quin ſua percurrat conſcius ora rubor?
Quin non tam pollens facundo Tullius ore,
Quàm curtus penetret viſcera Bilbilides?
Audiat oſor iners, ſeu qui clàm præbuit aurem:
Vindicias meritæ laudis apertus ago.
Si tamen à ſcripto genuinum nomine diſtat;
Conſtamus nobis, & Tibi cauſſa data eſt.
Namq; & ſpiranteis nil non immane Typhœos
Eſt ruere in ſexu ſæpe, Cytheri, Tuo.
Numine fœmineo quis neſcit ſtare Poëſin?
Et poſcunt animos carmina docta mares.
Excute rem totam. Muliebri veſte latebat
Agnitus Æacides, quem tulit uda Thetis.
Videris ut noſtros obeat ſtola turpior hoſtes,
Quos uti Pelidas vexerat aura levis.
Cyclade ſub molli vaſtos luſiſſe Cyclopas,
Res eſt vel magnis ſuſpicienda diis.
Conſtitit, ut nemo Vates impune laceſſat.
Hic ſcopus ex aliis, hæc mihi ſumma fuit.
Teſtor Vos ſuperos æternaq; lumina mundi,
Invidiam famæ vela dediſſe meæ.
Iam mihi præſidio eſt populis regnata Latinis
Omnis humus: jam me qui legit Aſtur amat.
Illò iter à Grajâ ſpectantibus Alpe Pyrenen:
Et mihi, nî Ligeris nî tenuiſſet Arar.
Ex hoc Bebryciæ vortex minùs obſtitit aulæ,
Qvin me Cantabricis Santo bearet agris.
Ivimus in Regum pars applauſura triumfos,
Inter Teutonicos Sarmaticosq; duces.
Quæ fovit, decorum gaudet præcone meorum
Terra ſub extremo Martis alumna polo.

Poſcimur

Poſcimur à doctis pridem manſveſcere Dacis,
Meq; probant hodie mitia corda Getæ.
Potantes Tamarum fontem Trinobantidos oræ
Scotosq; afflavit nominis aura mei.
Quid peccent animi nos divûm in ſorte locantes?
Neſcio quid mitris ſors mea majus habet.
Qvi latos ſulcatis agros, eſtote beati.
Exceſſit patrias gloria Vatis opes.
Et mihi Calliope: Cùm ſint obnoxia fatis
Omnia, neſcitis Vos mea corda mori.
Quam cineri Veſtro pompam fortuna negavit,
Tranſeat: ad ſeros nil facit illa dies.
Nox erat, & dulcem ruperunt viſa ſoporem:
Nec mihi, cùm ruerent, irrita fecit ebur.
Ipſe ſuis in me cecidit funeſtiùs armis
Qui, quo ſe poſſit frangere, livor habet.
Cùm ſatis invaluit; laqueosq; enſesq; miniſtrant,
Et rapidam accelerant carmina lecta necem.
Quid rudis innocuas oneret ſuſpicio mentes?
Artibus his nulli ſuccubuêre boni.
Omnem adeo colui virtutem, ut notior eſſet:
Omne adeo crimen notius arte meâ eſt.
Quærimus ingenio per docta ſilentia vires.
Si dignè obſequeris, res Tua luſus erit.
Tunc Tibi ſol primo ſurgat gratiſſimus ortu,
Et Tecum excubias Delia felis agat.
Tunc neq; diſpliceat nocturnæ Palladis ales,
Nec mora ſub lichno deſidioſa ruat.
Atq; olim in ſomnis Phœbum ſubiiſſe recordor,
Optatosq; animo depoſuiſſe modos.
Diſſidet à ſtudiis & motibus alea noſtris:
Nec Tua quo pellas nubila, talus habet.

Ludicra

Ludicra sint vulgo tenues concessa fritilli:
Otia Laurigeros nobiliora decent.
Nos & Naiadum sequimur Dryadumq; latebras:
Quàq; choros agitant, Vatibus esse licet.
Noxa sit in Faunis, exemplaq; tristia durent;
Illo Phœbicolas sanctior egit amor.
Hæc nos oblectant mediis spectacula silvis,
Hæc animi accedunt ingeniiq; bonis.
Dura senectus! ô nostris non aspera Musis!
Da porrò placidos in mea texta dies.
Omne nemus faveat, magniq; Heliconis alumnas
Præstet; & Aonias quilibet amnis aqas.
At Tu, mi VOIDI, quem Delfica Laurus obumbrat,
Cuî dantis Critico venit ab ungue decus,
Sperne rudes animas: & quò vocat ardua virtus,
Quâq; diis propior factus es, ito viam.
Alter aqualiculo crescenti serviat, inq;
Vnius intereant corpora multa dapem.
Turpe viro verè studium cœleste professo,
Altiùs exstructo se tolerare cibo.
Si bene Te novi, sapiunt Tibi Socratis aullæ,
Et mea Te serâ nutrit oliva die.
Deinde satis modicus, quo focillaris Iaccho.
Idem implet venas debilitatq; deus.
Te penes in luxum valuit nihil. Integer usus
Omnibus est rerum, quæ licuére probis.
Posce aliquid succi, posce hoc suadentibus horis:
Nec fatuis sumto pande triente fores.
Evomuit totam nuper Saufeia bilem,
Dilueret fontes cùm levis uva Tuos.
Id strigis amotos sitit ortâ luce deunces:
Et dubitat natum Vatibus esse merum.

Si qua senescentis tangit Te cura Zamell,
Dic ea lecturis: Hic quoq; Noster erat.
Tempore quo niveis jactaret talia Nimfis,
Quà solet, umbrosis ad vada nota jugis;
Ottocaris patrii condebat secula Phœbi.
Prægorisin festus luxerat ille dies.
Cum duce VUEIERO Proceres meus inter ovantes
THILO, ac Mæonidum DACHIUS ibat amor.
Templa deûm votis & adulto thure calebant:
Et sua venturis omina rebus erant.
Sacra coles, VOIDI, *nulli repetenda colentum:*
Ac ea (nam queror hoc) me sine sacra coles.
Tot studiis partos coràm venerarer amicos:
Sollicitatq; meam publica cera fidem.
Issem: jamq; calor rabidi deferbuit astri:
Sed me iterum intrudit stridula Libra foro.
Tu GOTOFREDE *iter hoc, Tu* THEIODORICE *capesses*
CAROLE: *Vos capitis pignora cara mei.*
Tu FEDERICE *domi servabis scrinia patris*
Scilicet, ô nostri pupe vigoris honos!
Ecce Camenarum soboles Comenius *intrat,*
Hic qui Janiculi *venit ab arce novi.*
Innexâq; fide, de te mihi gratulor, *inquit,*
Quem tenui in votis hoc procul Orbe meis.
Nempe breves tumulos æternis collibus æquat.
Iste amor est! tuq; hoc adside mœror abi.
Cùm mea longinquo se tollat adorea cælo;
Cur est in patrio, qui maledicat, agro?
Sæpe quidem excessi sed justo firmior ictu.
Hoc ex hoste Tuo deniq; livor habe.
Nam quæ non Pallas Tarpejo juncta parenti
Tela det? in stimulos sic valet illa meos.

Cùm

Cùm satius placeant nemorum secreta Poëtis,
Huc ades à primo limine, care Titi.
Tu quoq; felices inter spectabêre plausûs
Vrbis, electriferi quam beat unda maris?
At deus hic aliquâ interea cantabitur umbrâ,
Talia qui Musis currere festa dedit.
Quòd si quâ Ravium *quæris regione locorum;*
Mecum est. Ad Samios ibit & ille deos.
Hæc ego, Anactorides, *cecini: qui pubis alumnæ*
Montibus in Vestris pars quotacumq; fui.

Excell. viro Dn. Simoni Dachio in Ottocaréâ P.P. amico.

PRimus in hoc voto, quo sum pro sangvine supplex
Cœlitibus, Superûm sors nisi prima foret;
Primus in hoc, Dachi es. Tu Vestra Lycéa colenti
Monstrabis generi præmia vera meo.
Tu duces ad templa deæ, quæ vulgat ab alto,
Si sunt excelso qui subiêre gradu.

In Trutam.

TRuta viro nupsit. Multos sprevisse procorum
Audio. Cantatas *hic vir habebat opes.*
Quærebam, de quâ se ferret gente domoq;.
Teutonicis genitum fama negabat agris.
Venisse ajebant Marsorum sede vetustâ,
Et genti solitis rem cumulasse modis.

In Cœliam.

CÆlia cùm claris, cùm posset nubere doctis;
Malo formosum, dixit, habere virum.
Formosum accepit. Sine nomine vivit & arte
Vir piger, in Paphiam strenuus ire deam.

Deformis nunc vir, deformis Gellia nunc est,
Et quinæ soboles; panis egente domo.

In Gelliam.

NEc lotis manibus, nec terso Gellia naso est,
In centone brevi conspicienda domi.
Nec sint in pedibus, si sunt in pectore sordes?
Vilior est mulâ, cùm sibi clausa latet.
In parium cœtu nihil est succinctius illâ.
Quæ semper munda est, Gellia culta sat est.

Ad Gotolibam & Adelogundam filias.

HOrtorum in cultum Vos, utraq; filia, mitto,
In sertos rarum virgineumq; decus.
Si qua virum amplexa est, castis excluditur hortis.
Quod viret atq; viget sola pudica legat.

De Gavio Respondente.

PRæside sub Metio Gavius responsa daturus
De Cerebro, mutum stabat inersq; pecus.
Campius opposuit. Cùm solveret omnia Præses,
Supremum hoc, dixit, quæro diserte Meti:
De Cerebro in thesibus quoniam tractatio Vestris,
Hoc Respondentem numquid habere putes?
Firmavit Metius: Verùm, inquit, ab agmine tanto
Perculsum extremis calcibus illud inest.

Metutum Supinum.

DE metuo & metui dixi superesse metutum.
Illud nescio quis carpere dictus homo est.
Authentes non sum: quàmvis authentica sint, quæ
LucretI in quinto sceptra metuta *jacent.*

Ampli.

Ampli.

SEni Doctores, tres accubuêre Magistri
Ædibus Augustis: cœna dapalis erat.
Partibus oppositis Laurus discreta sedebat:
Nec plus hæc habuit, nec minus illa loci.
Dixissem, si quæ contentio nata fuisset:
Sunt aliquid bis tres. Amplior ordo trium est.

In Chlorida.

NOxia cur paribus non sentit frigora Chloris?
Condita cerussis terq; quaterq; latet.

Ad filios majores.

VIdistis Nimfam: quæ si Corbinia proles
Non foret, Aonidum plectra regentis erat.
Audistis, pueri, Latio sermone loquentem;
Cùm nostro, huîc ipsi, nomine dixtis: Ave.
Turpe foret Vobis, doctas audîsse puellas;
In doctis aliquid non tamen esse viris.

De Carolo filio.

CArolus octennis bis sex rubicunda ferebat
Poma domum. Civis dona faventis erant.
Da fratri, dixi, da partem utriq; sorori:
Et quot cuiq; dabis, tot retineto Tibi.
Siccine dividerent homines sibi parta, rogabat,
Vt tribus expensis quarta maneret hero?

Ad filiam G.

NAta viges: at sera dies hæc omnia tollet,
Vos vanæ ad primas quæ retulistis opes.
Nec satis, hoc casu sperare pericula formæ.
Cras aliqua impendens carpere noxa potest.

Commen-

Commendet teneras fugitiva juventa puellas:
Si superant, animi dote probantur anûs.

De Pierisin.

DEgunt Pierides: ne corpora ficta putetis.
Sic dixi in cœnâ, quam mihi Gisco dabat.
Omnes mirati me vera referre negabant.
Cras, ajo, mecum (si stat) inite nemus.
Monstrabam picas: & erant tunc fortè novenæ.
Factaq́ꝫ, sed doctis & Tibi Gisco, fides.

In Orationem de Electis Rev. Dn. Christophori Feierabendi.

TErtius adscriptæ finit trieteridos annus,
Quâ rem constitui Quæstor in Vrbis agro.
Sanctior extremis fruges mihi provenit horis.
Publicitus fiunt rura diserta Deo.
Ille est, qui patriis Electos adserit astris:
Quem partem regni glorior esse mei.
Edebant Mystæ, soli sed in Vrbe docentes.
Hactenus elingues Vos tacuistis agri.
Si mihi parva fides; seu gloria justa negatur;
Tu mihi Te profer Feriabenda *manus.*

In Epitaphium viri Nobilis I. I.

HOspes, ita vita hæc vivitur;
Vt, si putes, intelligas
Vixisse nos quod vivimus.
Adeo omne punctum in transitu,
Et temporum voragine est.
Eheu sub isto sidere
Nihil esse, quod mortalium
Studia reponat seculis!

Ejus colossus decidit,
Et finis est miraculis.
Sed est, quod ultrà sustinet,
In Patriam clara merita.

Ex Theocrit. Idyl. VIII. Ω Λάμπουρε κύων

SIcne jaces somno, canis ô Lampure, profundo?
Cum puero Tu pascis oves: sopor altus abesto.

Ex ejusd. Id. IX. οὔτε γὰρ ὕπνος

NEc mihi tam somnus, subiti nec gratia Veris,
Aut apibus flores, quàm Vos venistis amicæ
Pierides. Vos turba mihi gratissima Musæ.
Nam si quem placido vidistis lumine Vatem,
Huîc non audebit miscere venefica Circe.

Ad filias.

MVltârunt geminis hodie mea tecta catillis,
Et curtâ infames amsitapete manûs.
Vile instrumentum scutulas attriverat usus,
In tapide exilis villus, & ipsa rudis.
In lucro est, natæ. Præstanda est cautio posthac,
Ne pereat simili res pretiosa fide.

Ad Theodoram puellam.

NE differ puerum, Theodora, sed annue votis.
Suaviùs ardenti Sole bibuntur aquæ.
Nam quod ducis, idem est: sitienti in fonte repugnas.
Nec Tu fons semper, nec sitis alter erit.

Ad liberos.

COndidimus teneræ, mea gens, præcepta juventæ:
Nil juvat obnixos sera medela senes.

Adspice

Adspice, ut arboreos non firmo robore fœtûs
Flectat in oppositum provida cura latus.
Adspice ut, in noxam cùm se firmaverit ætas,
Nulla sit à longis ars valitura moris.

Peritur.

P*Osse negat dici Scholiastes Cæso* Peritur.
Unde ergò est, Cæso, quòd Reperitur *habes?*

Ad filias.

A*Ssere Tu nostros pariter* Gotoliba *libellos:*
Nec fratrum officio sit Tua cura minor.
Hoc caro debes simul Adelogunda *parenti.*
Ac licèt obscurus sim Tibi, nostra fove.
Vos natæq; olim dabitis volvenda maritis:
Et suus interpres cuiq; maritus erit.

Ad Gotofr. F.

C*ùm fugiam terras, & funus inane jacebo;*
Da tumulo matris me, Gotofrede, Tuæ.
Sæpe illud dixi: cineres cave verrere nostros.
Sit mihi, sit matri non temerata quies.
Vidi ego, cùm nuper defossum extruderet alter.
Et quorsum in fano sint monumenta virûm?

Ad liberos.

P*Arce meum, mea gens, fuco celebrare sepulcrum.*
Rure sit è patrio, qui teget ossa, lapis.
Artificum nugas cipposq; reliquimus altos
Progressi calamo, quem movet aura levis.
Ornentur manes: & sit qui vestiat auro:
Sat mihi, quæ de me fama superstes erit.



De Galindis ac Sudinis vetustissimis Borussiæ incolis, Ad Robertum Cruqvium virum Nobilissimum.

NOsse Galindæas *in nostrâ Prusside gentes*
Vis dilecte Cruqui: & qualis Sudina *fuisset*
Natio, sollicitas Latio Tibi carmine pandam.
Gallindas (*vox hæc* Sudinis *nota suisq;*
Antè fuit populis) Latrones ore Latino
Dixeris. Immenso cùm cresceret agmine vulgus.
Et jam Myrmidones contemti patribus essent,
In sua crudeles merserunt viscera ferrum.
Ac ne fœcundæ præberent ubera matres,
Ipsas immani truncârunt vulnere mammas.
Tum Vati, quas Vaidilodas *ceu Fatiloquas gens*
Nominat à stirpe Ausoniâ, procumbere supplex
Fœmineum genus, & solatia qværere rebus.
Osa nefas, sexumq; humilem miserata sacerdos
Omne ciet nomen, quod posset sumere bellum,
Finitimosq; jubet quàcumq; lacessere Reges.
Mandat & imperio Superûm deponere suta,
Peilaq; se certam palmæ, quia Numinis irent
Auspicio. Positis ruere omnes ocyùs armis:
Iam ferre atq; agere. Vt fama est vulgata per urbes;
Incumbunt armatæ acies, ceduntur inermes,
Visq; omnis sublata virûm, desertaq; terra est.
Terra patens latè, nullisq; habitata colonis,
Quàm quos ipse sui genius profuderat agri.
Vanum, hos Teutonicis motûs intexere fastis,
Atq; in reginæ quondam Crucis *edere rebus.*
Tunc ignorati nostro sub Sole Magistri
Nec Solymæ dederant devotis nomina signis.

Cæsaribus tunc summus honor, Dominosq; superbos
Iam non ingenio patrum Vrbs æterna ferebat.
Mansit iners nomen, glebæ sine gente remansit,
Quod facinus dederat (vetus atrâ nocte sepultum est)
Et Sudinorum *cessit pars maxima prædæ.*
Hi simul antiquis regnum tenuêre Galindis
Ante deos terris genitos, mundiq; recentis
Secula, robustæ gentes, nec cladibus ullis
Afflictæ, ac tamdem vix æquo Marte subactæ.
Vos sceptri in partem Samios *misistis amicos*
Littore concesso. Iam tum Gothus impiger Austro
Cœperat esse gravis. Pridem donastis electrum
Teutoniæ populis: misit Germania Gallis:
Venit *ab Eridano Romanis gutta triumfis.*
Ex quo Sudini *vicino hæsêre Litóo,*
Vox quoq; confusa est. Latias didicêre loquellas,
Et Grajos rapuêre sonos. Si tempora mecum
Resq; puto exactas, quid non miscebat Alanus
Orbe *vagus* Patriæq; *redux? immota sederes*
Quàmlibet, ac seneas ignota Sydinia *Grajis.*
Scilicet inde deos & sacra habuêre Borussi,
Et pariter linguam. Numerum docuêre Latini:
Ipsæ aræ sonuêre Deum; Pecus *arva Laresq;.*
Virs *Vir ab* Ausonio *est:* γάνναν *peperêre* γυναῖκες.
Tava *Patrem appellant: Matrem dat* Mutien: *hæcq;*
Litvanâ *an cultis manârunt nomina linguis.*
Μαλνῦκαν *Sobolem, Pumilum propè* Sarmata *vertat.*
Hic quoq; Galindæ *tumulos communibus urgens*
Finibus, in notæ venit commercia linguæ.
Quid si Tu μαλακὸς *contendas esse* Pelasgum?
Iumpravam *certè indigites cum* Teutone *Nimfam.*
Iϑ *Edere est,* πῦτον *Potare ab origine* Græcâ.

Kurpis

Kurpis Alanorum : *veniunt ea vincula plantis.*
Nî fortè Ausonium *est: Crepidas exponeret* Auson,
Quales Mopsopiæ *haut ignoravêre puellæ.*
Nec, si Carbatinis componas, prorsùs abirem.
Unds *Vnda est:* ἄνκλιπτς *Adopertum à voce* καλύπτω.
Si Paggun *nescis, Pax est gratissima rerum.*
Pax, de quâ nomen Videnutis Poggia *duxit:*
Cujus sunt nostris oracula reddita silvis.
Vidimus illius nuper frontalia divæ
Cornea, deformem medio claudentia gemmam.
Sed juvat in nudis studium consumere verbis.
Μῆς ῥίκυαι ἄσμὲν *sonat* ἡμεῖς κύριοι ἐσμέν·
Cum Smunentin *Homo Latium stat: cordaq;* Vaikai
Serva notat: qvos Morigeros decet esse Poclusmans.
Rancas Sarmaticum *Manus est:* Tu, Tebbe, Latinum.
As, *Ego, discedit: quod* avitum *credimus esse.*
Miscuêrunt, lexesq; suas habitumq; dederunt
Inq; eadem duri sacra convenêre Curones.
Deq; *Gothis sumtum est: gentem dirimebat utramq;*
Vistula: nec patriâ Gothus omnis abiverat orâ.
Propria sunt quædam, populoq; affinia nulli.
Hoc *Candens Sublime vocat mea Prussia* Dangon.
Vox licèt hæc etiam Litalano cognita civi.
Burvalcan prisco *reddunt* idiomate *Villam.*
Ac memini, cùm Tu transisses prædia Glandes,
Gerdavumq; *nemus; Ditobaldum quærere natum,*
Nomina quid referant. Spes & Fiducia Glands *est.*
Namq; heic præsidium contra Mariana *locabant*
Arma lacessiti. Gerdant *est Dicere Prussis.*
Nempe Oratores nostræ pietatis agebant
Partibus his, populiq; coacta est concio fidi.
Quando erat hoc operæ, violento cogere gentem

Marte

Marte reluctantem Domino confidere rerum.
Obstiterant plures: pauci accesséq; volones,
Qui nemore obscuro Superis sua vota litarent
Nec civi infesto nec aperti patribus ipsis.
De Pronio *est fundo, veteres dixisse* Perónin.
Iuxtà Protis *ager:* Pratin *dixére priores.*
Consilium hoc ipsum est, illud Commune vocabant.
Sæpe locum constat priscos celebrasse Borussos,
Et decorum cumulo Pronium *fulsisse* Samilen.
Contigit, ut dictâ ratione vocabula nostræ
Gentis vicini transirent limitis aras,
Quodq; putes Curium, *daret illud* Prussiæ *mater.*
Quid meus immundâ salientem postulet undam
Lector ab eluvie? voces periêre viriq;,
Queis hoc defuerat, quod vos habuistis Athenæ.
Pauca mihi rudibus majorum cura tabellis
Posteritatis amans ab avorum morte reliquit.
Mitte Caledoniam *Scriptor sine nomine silvam,*
Et Britones *memorare patres. Si fabula forsan*
Ista fuit pueris narranda, hoc fine qviescat.
Excute primævos omni cum prole Britannos,
Atq; apices Druidum, *qui cis mare transq; colebant,*
Quà patet illius lingvæ communior usus;
Tum Prussos *attende meos: differre loquetur*
Hoc illudq; genus præsens discordia vocum.
Riphæâ *qui gentis avos deducit ab Arcto,*
Quà Macedûm *subit* ara *ducis, subit* æmula *IulI*
Cæsaris, *& rigidum incusant sola ferrea cœlum,*
Veriùs antiquæ relegit vestigia lingvæ.

Est aliquid, quod Stella *micas: si non mea Parcæ*
Stamina dissolvent, stat plenum immittere Solem.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0019523